

Aliæ  
quantitatis  
proprietas:  
vel munera:

divisibilitas,  
impenetrabilitas  
extensio partium:  
mensurabilitas,

Divisiones  
quantitatis:  
in continuum  
et discretam:

et discrete  
in varias  
numerorum  
species,  
continue  
vero in lineam,  
superficiem  
et solidum,

Hæc tres assignavit Aristoteles quantitatis proprietates, quas quidam vocant attributales seu logicales: addi tamen aliæ, possunt, quæ dicuntur a nonnullis physicæ, et sunt varia munera et effectus formales quantitatis. Tales sunt inter alias, *divisibilitas* per motum physicum, unde initio descripsimus cum Aristotele quantitatem, *impenetrabilitas*, *extensio partium*, et *mensurabilitas* sive activa sive passiva (1). Quæ enim eo pacto divisibilia sunt, extensionem partium extra partes habent, et locum occupant, et mensurare ac mensurari queunt, ac demum ita sunt impenetrabilia, ut sicut singulæ partes, aliæ alias, se repellunt a proprio loco, extensionem efficientes, ita etiam corpus ex huiusmodi partibus coalescens non patiatur aliud corpus quantum in eodem loco, quin vel illud ab eo arceat, vel ipsum inde alio recedat. Hæc nota omnibus sunt atque comperta, quorum nonnulla mox accuratius consideranda recurrent.

201. Denique coordinatio prædicamenti quantitatis ex hactenus dictis hæc est, ut primo quantitas dividatur in continuam et discretam; quæ divisio ex nuper disputatis de numero, non videtur esse dicenda in toto rigore univoca et veri generis in suas species, sed potius analoga (2).

Deinde quantitas discreta subdividitur in diversas species numerorum (3). Continua vero quantitas dispescitur in lineam, superficiem et solidum, tamquam in species atomas seu indivisibiles ulterius, ex communissima Philosophorum sententia cum S. Thoma. «Nam cum essentialiter ratio quantitatis consistat in extensione, quæ a nobis per divisibilitatem explicatur, non potest essentialiter contrahi nisi per modos extensionis aut divisibilitatis essentialiter diversos. In variis autem lineis non possunt inveniri, aut cogitari tales modi extensionis aut divisibilitatis essentialiter diversi, semper enim est extensio aut divisibilitas tantum in partes longitudinis. Quod vero hæ partes, si proportionales sint, majores sint vel minores, vel quod sint plures vel pauciores,

(1) Vide Lossada, loc. cit., n. 103; Suar., disp. 41, sect. 5, n. 14 seqq.

(2) Cfr. Suarez, disp. 41, sect. 4, n. 2-5; Lossada loc. cit., n. 104.

(3) De quo vide Suarez, sect. 4, n. 9-11.

si sint æquales, accidentarium est quantitati continuæ, ut per se constat. Et idem proportionaliter est in superficie et corpore. Unde omnes divisiones, quæ his attribuntur, plane sunt accidentales; ut quod linea sit recta aut circularis, nam illi duo modi pertinent ad prædicamentum qualitatis, cuius apertum signum est, quod eadem linea potest ex recta fieri circularis et e converso...» (1). Quod vero linea, superficies et solidum (corpus mathematicum) sint quantitates speciei distinctæ, communiter convenit apud auctores: qua de re videri possunt Suarezius (2), Rubius (3), Fonseca (4), Complutenses (5), Joannes a S. Thoma (6).

## ARTICULUS II.

### Utrum quantitas sit accidens realiter distinctum a substantia?

202. Ante omnia supponimus proprium quantitatis esse extensionem, ut omnes concedunt: nihil enim potest esse quantum seu divisibile in ea, quæ actu insunt, et quorum unumquodque aptum est, ut post divisionem per se subsistat, nisi extensum sit, vel habeat partes extra partes. Supponimus etiam quantitatem et extensionem esse realem, non autem pure phænomenicam quemadmodum somniantur idealistæ, alique potissimum e Kantii discipulis, e quibus nonnulli cum Joanne Miller Kantium ducem sequentes, quantitatis representationem formæ cuidam subjectivæ innatæ attribunt, ac *nativistæ* audiunt, alii cum H. Helmholtz ex usu et consuetudine procedere autumant, quod nos

Admittenda  
objectiva realitas  
quantitatis.

(1) Suarez, loc. cit., n. 5 et 6.

(2) Disp. *Metaph.* 40, sect. 6.

(3) Loc. cit., de *Quantit.*, quæst. 2.

(4) Lib. 5 *Metaph.*, cap. 13, quæst. 6.

(5) *Logic.*, disp. 13, quæst. 4.

(6) *Logic.*, quæst. 16, art. 4.

Nihilominus in hac misera et novitatum sectatrice ætate non desunt viri eruditi, qui contendant quantitatem non tribus dumtaxat absolvi dimensionibus, sed plures quoque habere posse. Vide cl. P. Pesch (*Philos. natur.*, num. 345), Stallo (*La Matière et la Physique moderne*, chap. 13).



absque ullo fundamento objectivo res ut quantas percipiamus, et propterea *empiristæ physiologi* vocantur (1).

Hæc tamen opinatio falsa certissime est, et recta ducit ad idealismum et scepticismum. Nam ut ipso conscientie testimonio notum cuique est, nihil nobis evidentius occurrit in sensationibus, quam extensio et quantitas. Si ergo non datur a parte rei extensio nec quantitas, neganda pariter erit objectiva realitas cujuslibet sensationis, ac dubitari pariter jure poterit de veritate cognitionum nostrarum. Deinde neque intelligi neque explicari potest, cur mens nostra res, quæ in se quantitate careant, nonis quantas valeat representare, sibi perpetuo illudendo.

Objicies forte. α) Ex Mathesi constat quantitatem esse absolutam et immutabilem: quidquid autem in rerum natura corporibus inest, contingens est ac mutabile. β) Ex Physica et Physiologia novimus, nos directe et immediate percipere non res ipsas externas, ut in se sunt, sed ictus pulsusque ex vibrationibus a causa forsitan ignota productis. γ) Prout eadem Physiologia docet, varii sunt in oculo apparatus, qui *projectorii* dicuntur et *objectivantes*. δ) Mutatis denique conditionibus subjectivis, quantitas rerum mutatur, ut constat exemplo perspicillii utentium, quibus eadem res modo major modo minor apparet, eteorum, qui per vitra stereoscopica perspiciunt, quibus imago in se plana tertiam quoque dimensionem expresse ac dilucide exhibet, et aliis similibus, quæ facile congeri possent.—Verum hæc non urgent. Ad primum α) enim respondetur, *distinguendo* assertum. Ex Mathesi constat quantitatem mente abstractam et precisam absolutam esse atque immutabilem, *conc.*; quantitatem concretam, et prout in rebus repertam, *neg.* Ad alterum β) respondeo, *negando* simpliciter assertum, quemadmodum suo

(1) Vide cl. P. Pesch, *Philosoph. naturalis*, num. 339. Cum hisce deliramentis affinitatem habet illorum commentum, qui extensionem objective et ontologicæ in statu permanenti non esse putant, verum exurgere ex *punctis currentibus*, ex motu nempe ac fluxu nescio cujus entitatis per spatium volitantis proficisci, fere sicut in aere ex agitatione veloci stili igniti opparet oculis igneus circulus. Verum hæc omnia opinamenta per se concidunt ex iis, quæ contra idealismum disputata sunt.

loco demonstrandum erit in Psychologia. Tertium γ) *distinguo*. Prout Physiologia docet, varii sunt in oculo apparatus natura destinati ad fingendam in corporibus quantitatem *neg.*, ad juvandam potentiam visivam, ut res nobis innotescant, secundum quod sunt in seipsis, *conc.* Quartum etiam δ) pari modo *distinguo*. Mutatis conditionibus objectivis, ipsa quantitas modo percipitur, modo non percipitur, *neg.*: varie percipitur, *subdist.*: mutationibus accidentalibus, quæ facile agnosci et explicari queunt ex organi mutatione, *conc.*; aliter, *neg.* Verum hactenus de his delirantium nugis (1).

Controvertitur vero, an quantitas habenda sit tamquam accidens a substantia corporea, quam extendit in partes, ac divisibilem reddit, realiter distinctum. Nam tum Nominales communiter, tum cartesiani cum suo magistro, tum denique atomistæ negant ullum, saltem reale, intercedere discrimen substantiam inter et quantitatem: at cæteri Scholastici extra Nominalium scholam, pluresque recentiores Philosophi ac Theologi agnoscendam esse realem distinctionem contendunt.

Inter negantes vero non una est ratio commune illud pronuntiatum tuendi. Nominales enim admittebant tum compositionem corporum ex materia et forma, tum etiam quorundam accidentium, nempe qualitatum, realem à substantia corporea distinctionem: et sic singulis hisce realitatibus invicem distinctis totidem quantitates cum singulis earum identificatas, materiæ nempe suam, suam formæ, suasque singulis qualitibus assignabant, unde omnes istæ quantitates identificatas quidem volebant cum illis realitatibus, quas extendunt, distinctas vero realiter inter se, sicut illæ ipsæ realitates (2). Cartesiani nolunt agnoscere accidentia realia, quæ a substantia realiter distinguantur, et consequenter asserunt quantitatem esse unum idemque cum re quanta, immo essentiam corporis reponunt in triplici

Opinio  
Nominalium  
et  
Cartesianorum,  
cui contradicit  
communis  
doctrina  
Scholasticorum

Discrimen  
inter Nominales  
et cartesianos.

(1) Plura de his dabit cl. P. Pesch. loc. cit. num. 340 seqq. Cfr. cl. Van der Aa, *Cosmolog.* propos. 2.

(2) Vide apud. Suar. (disp. *Metaph.* 40, sect. 2 n. 2). Fons. (lib. 5 *Metaph.* c. 13, quest. 2, sect. 1). Sot. (*Logic., de Prædicam.* c. 6. de *Quantit.* quest. 2).



dimensione (1), ipsam actualem extensionem in loco reputantes inseparabilem prorsus esse a corporea substantia, et corpus physicum confundentes cum mathematico. Alii demum, licet concedant actualem extensionem abesse posse a substantia, immo et ab ipsa quantitate, utpote quæ non sit nisi hujus naturale quoddam consecrarium, nihilominus arbitrantur nullam urgere necessitatem realiter distinguendi quantitatem a substantia (2).

Quoniam vero doctrinæ huic obstare videtur mysterium venerandum Eucharistiæ, de qua Fides docet post verba consecrationis non amplius remanere substantiam panis et vini, cum tamen sensibus manifeste appareat quantitas cum omnibus qualitibus utriusque illius substantiæ; respondent Nominales in Eucharistia adesse quantitates qualitatum, quantitates vero materiæ et formæ panis et vini utpote cum illis identificatas simul cum iisdem periisse; quapropter ex Venerabili Sacramento minime sequi realem distinctionem substantiæ a sua quantitate, sed solummodo a qualitibus propriisque illarum quantitibus. Cartesiani aliter putarunt rem esse declarandam, dicentes in Eucharistia non remanere veram quantitatem verasque qualitates panis et vini, sed meras *apparentias*, quæ significantur nomine *specierum* sacramentalium. Deus enim, inquirunt, per suam actionem gignere dicendus est in sensibus nostris impressiones omnes sive colorum sive saporum, sive resistentiæ, cæterarumque sensationum, quæ ad præsentiam panis et vini, si reapse adessent, gigni deberent; quandoquidem dubitari nequit, quin Deus per suam omnipotentiam supplere valeat activitatem omnem causarum secundarum proprios eorumdem effectus per seipsum producendo. Et hujusmodi actiones Dei vocant cartesiani *actiones objectivas*, videlicet «quia præstant idem, quod præstaret objectum, si adesset» Ita fere Maignan, Saguens et Tosca (3) aliique.

(1) Et ita Cartesius corpus definivit *rem extensam in longum, latum et profundum*. *Princip.* p. 11, paragr. 4.

(2) Vide Tong. (*Cosmol.* lib. 1, cap. 6, art. 4. potissim. n. 232 seqq.), Palmieri (*Cosmol.* thes. 26, pag. 183, seqq., Romæ 1875).

(3) Apud Lossada *Curs. Philos.* tom. 2, *Preliminaris ad Physicam Dissertationem*, n. 32.

Hæc phænomenorum eucharisticorum expositio, quæ rationem sacramenti pesumdat, arridere non potuit recentioribus atomistis, qui propterea hanc aliam paululum diversam excogitarunt: «Supponimus enim, inquirunt, substantiam propriam corporis panis et vini non esse nisi materiam ponderabilem, sicut et uniuscujusque corporis naturalis; scimus autem atomos corporum immersas veluti esse intra materiam imponderabilem, quæ sinus omnes corporis pervadit, quæque coherentes tenet partes seu atomos corporis. Fac igitur desinere omnem substantiam panis et vini, Deumque efficere, ut materia imponderabilis, quæ illis commixta erat, sensibiliber resistat in spatio, quemadmodum prius resistebat corpus: habebis eadem phænomena, et quidem objectiva, hoc est, a causa existente a parte rei determinata, quæ prius habebas» (1). Etenim «ex hoc illico habebis extensionem, eamque mobilem ac divisibilem, similem in omnibus extensionis panis; habebis eandem figuram, cohesionem, duritiem cæterasque qualitates generales et speciales, quas panis præ se ferebat. Accedent undæ luminosæ, et in illa superficie eodem modo modificabuntur, ac diffundentur, ac prius a superficie panis; caloricum eodem modo impenetrabilitates illas atomicas commovebit: atque undæ sonoræ in aère eodem modo, ac prius, ab extensione hac ciebutur; gravitas demum attractionesque omnes eadem erunt. Hinc tactus, visus, auditus, gustus in ea extensione reperient eadem, quæ antea reperiebant, neque hanc substantiæ apparentiam a vera substantia intellectus rei ignarus discernet...» (2). Et simili modo judicandum erit de odoribus, licet enim jam amplius non sint corpuscula ipsa minutissima, quorum effluvia efficiunt odorem, adsunt tamen minutissimæ resistentiæ moleculares ad instar corpusculorum, eæque iisdem motibus agitantur, quibus prius ipsæ substantiales moleculæ agitabantur (3).

At vero hæc omnia Scholasticis satisfacere nequeunt ideoque censent, ut digne convenienterque sentiatur de

(1) Palmieri, *Cosmolog.*, thes. 26, pag. 183, 184.

(2) Tong, *Cosmol.*, loc. cit. n. 237.

(3) *Ibid.* n. 238.



sacrosancto Eucharistiae mysterio, distinguendam necessario esse substantiam a quantitate.

203. PROPOSITIO 1.<sup>A</sup> Nec substantia corporea, immo nec ipsa etiam quantitas, identificanda realiter aut confundenda est cum actuali corporis extensione in loco.

Tum substantia corporea, tum etiam ipsa quantitas, re distinguitur ab actuali extensione.

Pobatur. Quia si substantia corporea, sive etiam ipsa quantitas, identificaretur cum actuali extensione, non posset ab hac separari, sed ubicumque adesset substantia et quantitas, ibi haberet actualem extensionem in loco. Atqui hoc certissime falsum est, ut constat ex sacra Theologia. Nam communis est Theologorum doctrina, in Eucharistia Corpus Domini nostri Jesu Christi integrum adesse cum omnibus suis naturalibus accidentibus, atque adeo etiam cum sua quantitate. Et nihilominus non habet ibi actualem extensionem, cum non sit in spatio sibi naturaliter debito, sed solummodo continetur intra spatium specierum sacramentalium, et quidem ita continetur, ut sit totum in toto illo spatio et totum in singulis ejus partibus.

Actualis extensio non est essentialis conditio corporis quanti, sed tantum modus essendi naturalis.

Quamobrem actualis extensio in loco, quae corpori omni generatim competit, habenda est tamquam *naturale* consecrarium vel modus essendi consentaneus corporis quanti, non vero tamquam *essentialis* ejusdem conditio vel status, ideoque impediti potest per miraculum a divina omnipotentia, quae potest quandoque secundum consilium infinite sapientiae suae, salvis rerum essentiis, contra connaturales earum exigentias agere.

204. PROPOSITIO 2.<sup>A</sup> Asserenda necessario est aliqua, saltem rationis, distinctio inter substantiam corpoream et quantitatem ejusdem.

Aliqua datur distinctio, saltem rationis, inter corpoream substantiam et quantitatem.

Et ratio est,  $\alpha$ ) quia conceptus substantiae et quantitatis diversi sunt: substantiam quippe intelligimus instar entis per se ac subjecti extensionem ac divisibilitatem habentis, quantitatem autem instar entitatis vel formae subjecto inherens, eidemque extensionem ac divisibilitatem communicantis. Aliis vocibus substantia corporea exprimit primum *esse* rei, quantitas vero secundarium; prius siquidem est *esse*, ac deinde *quantum esse*. Item substantiam concipimus tamquam

primum principium et radicem activitatis omnis corporum; secus quantitatem. Hinc  $\beta$ ) aliae sunt divisiones specificae, in quas dispescitur corpus quatenus substantia materialis est, et quatenus quantum est. Et sic  $\gamma$ ) lapis pedalis et lignum pedale specificè distinguuntur secundum rationem substantiae, non vero secundum rationem quantitatis; et e converso frustum unum argenti palmare et alterum bipalmare substantialiter unum sunt, at quantitative discriminantur saltem aliquo modo (1).  $\delta$ ) Adde quod substantia corporea non est per se sensibilis, sed per accidens; quantitas autem est per se sensibilis, quamvis secundario et ratione qualitatum sensibilium; videlicet est unum de sensibilibus communibus, quia a pluribus sensibus percipitur, ut docet Aristoteles (2).  $\epsilon$ ) Ex quibus factum est, ut substantia et quantitas ex communi omnium sententia ad diversa praedicamenta revocentur. Atqui diversitas praedicamentorum distinctionem saltem rationis necessario postulat. Ergo...

205. PROPOSITIO 3.<sup>A</sup> Spectato lumine naturali nulla ratio affertur, quae realem distinctionem quantitatis a substantia corporea evertat; quin potius non desunt indicia eandem suadentia: suppositis autem iis, quae Fides docet, distinctio illa realis omnino asserenda est.

Prima pars: *nihil obstat reali distinctioni, spectato lumine naturali.*

Prob. 1.<sup>o</sup> Quia ostendimus conceptus quantitatis et substantiae diversos esse. Atqui demonstrari nequit diversis hisce conceptibus unam eandemque a parte rei respondere realitatem, quemadmodum apparet ex difficultatum solutione. Ergo.

Prob. 2.<sup>o</sup> Ista realis distinctionis repugnantia vel petereatur ex generali ratione repugnantiae accidentium a substantia realiter distinctorum, vel ex aliqua speciali ratione, quae contra distinctionem quantitatis militet. Atqui ex neutro capite ostendi repugnantia potest.

Spectato lumine naturali, nihil opponitur reali distinctione quantitatis a substantia;

(1) Vide Fonseca, lib. 5, cap. 13, quest. 2, sect. 2.  
(2) Aristot. (lib. 2.<sup>o</sup> de Anim. text. comm. 64). Cfr. ib. S. Thom. (lect. 13, paragr. c, d), et Fonseca (loc. cit.)



**Non ex primo;** quia jam alias demonstravimus dari accidentia realiter distincta a substantia (1). **Non ex secundo;** quia rationes speciales, quæ afferri solent; huc revocantur: 2) substantia corporea per hæc duo attributa se nobis perpetuo manifestat, per extensionem videlicet et vim resistendi. Ergo dicendum videtur, ea ad substantiæ corporeæ essentiam ipsam pertinere, ac propterea ab eadem substantia non distingui (2). 3) Corporis audito nomine omnes intelligunt substantiam, quæ est subjectum longitudinis, latitudinis, altitudinis; nam scribente Augustino, corpus est, *quod modo suo habet aliquam longitudinem et latitudinem et altitudinem. Si hoc demas corporibus, quantum mea opinio est, neque sentiri possunt, neque omnino corpora esse recte existimari* (3). Ergo essentialia est corpori esse ordinatum ad occupandum spatium et resistendum in eo, ut constituent molem corpoream (4). Adde, quod intellecta trina dimensione, ab omnibus intelligitur statim corpus. Ergo trina dimensio est de essentia corporis. 4) Quantitas nequit adæquate distingui a substantia. Nam ea non distinguuntur adæquate, quorum unum in definitione alterius continetur. Atqui quantitas continetur in definitione corporis, siquidem corpus definitur substantia trinam habens dimensionem. 5) Si substantia realiter distinguatur a quantitate, difficile est explicare, in quo situs sit formalis effectus quantitatis. Nam quid confert quantitas substantiæ? Extensionem? At extensionem habet corpus a seipso: nam in corpore dantur etiam partes plures substantiales; quæ præscindendo a quacumque forma superaddita, eo ipso quod sunt plures, postulabunt esse alias extra alias, ac proinde diversa loca occupare (5).

**Verum ad 2)** primum horum facilis est responsio, nempe corpora sese perpetuo manifestare cum extensione ac vi resistendi, quia hæc sunt naturales proprietates. Sicut etiam

(1) Recole, quæ in hanc rem scripta sunt in *Ontologia*, n. 314. pag. 900 seqq.

(2) Tongiorg. *Cosmol.*, n. 227. lib. 1, cap. 6. art. 3.<sup>a</sup>

(3) S. August., *De Quantit. anim.* n. 6.

(4) Palmieri, *Cosmol. thes.* 5, part. 5.<sup>a</sup>, pag. 44, 45, Romæ (1875).

(5) Vide apud Sotum, (*Logic. lib. de Prædicam.*, cap. 6, quæst. 2) Fonseca (lib. 5.<sup>a</sup> *Metaph.* cap. 13, q. 1, sect. 1).

ignis se perpetuo manifestat per combustionem, quin tamen combustio actualis dicenda sit ad essentiam ipsius pertinere.

**Ad 3)** alterum eadem esto responsio, quia passim mens nostra concipit naturas rerum per ordinem ad proprietates et accidentia connaturalia earum, Et in hoc sensu possunt etiam absque ulla violentia exponi verba S. Augustini; cum enim naturaliter loquendo substantiæ non sint sine suis connaturalibus accidentibus, ubi hæc deficiunt, debemus naturaliter judicare deficere quoque substantias. Cum potissimum hæc habeat alibi S. Doctor: *In rebus, quæ participatione magnitudinis magnæ sunt, in quibus aliud est esse, aliud magnum esse, sicut magna domus et magnus mons... in his ergo aliud est magnitudo, aliud quod ab ea magnitudine magnum est, et prorsus non est hoc magnitudo, quod est magna domus.* Atqui si quantitas identificaretur cum essentia corporis, idem foret domus magna et magnitudo. Ergo... Ad illud quod adjungebatur, respondeo, *distinguendo.* Intellecta trina dimensione intelligitur corpus mathematicum, *conc.*; physicum, *subdist.*; formaliter, *neg.*; argutive, quia videlicet ex proprietatibus naturaliter concludenda est essentia, unde illæ tamquam surculi ex radice promanant, *conc.*

**Ad 4)** tertium respondetur definitionem illam, qua corpus dicitur esse substantia trinam habens dimensionem, descriptivam esse, non vero essentialem: quare *negatur Minor.*

**Postremum 5)** denique quod objiciabatur, pendet ex questione mox agitanda circa formalem effectum quantitatis.

Probatur secunda pars. *Realis distinctio quantitatis suadet etiam naturalibus argumentis.*

1.<sup>o</sup> Quia si quantitas realiter identificatur cum materia, identificabitur etiam cum forma substantiali, et cum qualitatibus, et sic omnes hæc realitates per seipsas erunt quantæ. Id vero fieri nequit, quia proprium quantitatis est tribuere impenetrabilitatem. Si ergo tum materia tum forma et qualitates sunt seipsis quantæ, nequibunt se penetrare. Atqui tamen se penetrant, et nisi se invicem penetrarent, ac pervaderent, nunquam unum compositum substantiale conflarent. Ergo...

quin potius  
favent  
eidem naturalia  
quædam  
argumenta;



Nihilominus, licet Nominales concedant primum assertum hujus probationis, cujus vim variis responsionibus enervare conentur, ut videre est passim apud veteres auctores; moderni tamen atomistæ negant illud assertum, cui tota probatio nititur. Et si dixerint, solam materiam esse quantam per se et impenetrabilem, et quidem respectu alterius dumtaxat materiæ similiter per se quantæ, non vero respectu formarum sive etiam qualitatum; non video quomodo possint efficaciter revinci absque recurso ad mysterium Sanctissimæ Eucharistiæ.

2.<sup>o</sup> Suadetur forte efficacius ex alio argumento superius adducto ad probandum, quod saltem ratione distinguantur substantia et quantitas. Nempe quantitas est per se sensibilis, substantia vero solummodo per accidens. Id enim videtur realem distinctionem postulare.

3.<sup>o</sup> Accedit, quod ut alibi probandum est, corporibus conveniunt ratione formæ quædam proprietates realiter distinctæ. Hinc autem per analogiam colligere licet inesse quoque debere iisdem corporibus ratione materiæ aliquam proprietatem re distinctam. Atqui hæc non potest alia esse, quam quantitas. Ergo. (1).

Quamobrem Aristoteles non uno in loco videtur realem hanc distinctionem innuere. «Nam in 3.<sup>o</sup> *Metaphysicorum*, textu 17 (2), et latius lib. 13 et 14 ex professo probat quantitatem non esse substantiam; et contra Pythagoricos probat dimensiones quantitatis non posse reipsa separari a materia seu substantia, quia sunt accidentia ejus. Et 1.<sup>o</sup> *Physicorum* text. 15 (3), ait substantiam et quantitatem non esse unum, sed multa. Et ubique ita quantitatem distinguit a substantia, sicut qualitatem, ut patet ex eodem loco citato, et ex libro *Prædicamentorum*, et 7.<sup>o</sup> *Metaph.* tex. 8 (4), ubi ait: *Longitudo, latitudo et profunditas quantitates quadam sunt, sed non substantia: quantitas enim non est substantia,*

(1) Plures alias rationes naturales congerit Benedictus Pererius, (*de communibus* etc., lib. 10, cap. 1).

(2) Cap. 5. Cfr. ibid. S. Thom. lib. 3 *Metaph.*, lect. 13., paragr. c. seqq.

(3) Cap. 2. Cfr. S. Thom. lib. 1 *Metaph.*, lect. 3 initio.

(4) Cap. 3. Cfr. S. Thom. lib. 7 *Metaph.*, lect. 2, paragr. d.

*sed magis cui hæc primo insunt.* Item 2.<sup>o</sup> *de Anima* text. 65 (1) ait substantiam esse sensibilem per accidens, quantitatem autem per se. Primo etiam *Physicorum* text. 18 (2) scribit substantiam non esse per se divisibilem, sed per quantitatem» (3). Adde famosam illam definitionem, qua materia per seipsam neque quid, neque quantum, nec aliquid aliud quippiam dicitur, quibus ens determinatur (4). Idemque sentiunt Averroes et alii interpretes dictis locis (5).

Sed quidquid sit de hujusmodi naturalibus probationibus, veniamus ad præcipuum fundamentum realis distinctionis, quod ex sacra doctrina repetendum est, ut notant Suarez (6) aliique passim Doctores.

**Prob. tertia pars: suppositis iis, quæ Fides docet, distinctio realis omnino asserenda est.**

In sacrosancta Eucharistia, ut constat ex Fide, post verba consecrationis deficit integra substantia panis et vini; et nihilominus permanet quantitas ejusdem panis et vini cum suis qualitibus. Atqui separatio duorum signum est realis distinctionis. Ergo...

**Minor** certa est, et consequentia bona.

**Major** etiam quoad primam partem certa est, et supponitur nunc ex Theologia. Probatur vero quoad alteram.

1.<sup>o</sup> Standum est relationi sensuum, dum non constat de miraculo aliquo facto, aut solida et prudens aliqua ratio contradicat. Atqui in sacramento Eucharistiæ manifesta est relatio sensuum eodem modo testantium existentiam quantitatis et qualitatum post verba consecrationis, ac ante. Aliunde vero nullum aliud miraculum constat præter absentiam panis et vini per transubstantiationem eorundem in corpus et sanguinem Jesu Christi, Domini nostri; ratio denique nulla efficax aut solida potest afferri ad probandam repugnantiam absolutam existentie quantitatis a substantia separatæ. Ergo.

at supposita  
sacra doctrina  
necesse est  
quantitatem  
a substantia  
realiter  
distinguere.

(1) Cap. 6. Cfr. S. Thom. 2.<sup>o</sup> *de Anim.* lect. 13, paragr. d.

(2) Cfr. *Physicor.* lib. 1, texto 15, cap. 2.

(3) Ita Suarez, disp. 40, *Metaph.* sect. 2, n. 7.

(4) *Metaph.* lib. 7, cap. 3.

(5) Apud Suarez, ibid. Cfr. *Sot. Logic. de Prædicam.* cap. 6, q. 2.

(6) Loc. cit. sect. 2, n. 8. Cfr. Fonseca, loc. cit. q. 2, sect. 2.



Hoc argumentum adeo efficax visum est Divo Thomæ, ut propterea scripserit hæc: *Dicendum quod sensu apparet, facta consecratione, omnia accidentia panis et vini remanere* (1). Et alibi: *Non enim negari potest accidentia panis et vini remanere, quum sensus hoc infallibiliter demonstrat* (2). Et ideo etiam sæpe scriptum reliquit Angelicus, in Eucharistia sensus revera non decipi; quia proprium est ipsorum judicare de accidentibus, hæc vero in illo sacramento manent (3). Simili modo evidentem et indubiam esse relationem sensuum judicarunt alii gravissimi scriptores (4). Et recte quidem, quia ubi evidens est experientia, explicatio, quæ illam ducem habet, nisi ratio solida vel Fides obstant, præferenda est omnibus aliis theoriis, etiamsi aliunde nihil absurdum vel rationi minus consonum continerent.

**Prob. 2.<sup>o</sup>** Eadem 2.<sup>a</sup> pars Majoris argumenti principalis. Nisi admittatur quantitatem et reliqua accidentia panis et vini remanere in Eucharistia duplex restabit via ad phænomena resistantiæ cæterarumque sensationum, quas evidenter omnes experimur, explicanda:  $\alpha$ ) hypothesis nimirum *actionum objectivarum* seu impressionum, quas Deus ipse

(1) 3 p., quæst. 75, art. 5.

(2) *Contr. Gent.* lib. 4, cap. 65. Cfr. ib. cap. 62, in tertia et quarta difficultate.

(3) Vide S. Doctorem in 3 p., quæst. 75, art. 5, ad 2.<sup>am</sup>; 4.<sup>o</sup> dist. 1, quæst. 1, art. 1, solut. 2.<sup>a</sup>, ad 1.<sup>am</sup>, et ad 2.<sup>am</sup>; 4.<sup>o</sup> dist. 12, quæst. 1, art. 1, solut. 2, ad 2.<sup>am</sup>.

(4) Vide v. g. Fonsec (loc. cit. q. 2, sect. 2). Lug. (*de Eucharist.* disp. 10, sect. 1). Sylvius (In 3.<sup>am</sup> p., q. 7, art. 1). Tolet (In 3.<sup>am</sup> p., q. 75, a. 5). Valent. (In 3.<sup>am</sup> p. *de Euchar.* q. 3, punct. 2, paragr. 8, et q. 5, punctum 1). Tanner, (*Theol.* t. 4, dis. 5 *de Euchar.* q. 4, dub. 3, n. 50). Joann. a S. Thom. (*Logic* q. 16, a. 1).

Sufficiat unius pro omnibus verba Suarezii referre: «Supponimus ut certum manere aliqua accidentia panis et vini, consecratione peracta, quod non solum fide certum est, ut patet ex Concil. Trident. (sess. 13, can. 2), sed etiam sensibus est manifestum. Quamquam non defuerit unus Petrus de Alliaco, qui dixerit sensibus non satis judicari, an illa sint vera, an apparentia, posseque probabiliter negari. Quod si verum est, nullum plane iudicium ob sensuum experimentum potest esse certum etiam in objectis propriis ac per se ipsorum sensuum: quo nihil potest dici absurdius.» Suarez. (*de Eucharist.* disp. 56, sect. 1 initio).

per se desinente pane et vino, in nostros sensus inque corpora circumstantia faciat eodem modo, ac procederent ab ipsa panis et vini substantia, si adhuc extaret; fere sicut idealismi objectivi patroni sibi blandiuntur posse representationes corporeas explicari (1):  $\beta$ ) altera hypothesis est, ut phænomena illa procedant ex imponderabili materia, quæ substantiæ panis et vini prius erat commixta, ita ut Deus efficiat «ut materia illa imponderabilis sensibiliter resistat in eodem spatio, quemadmodum prius resistebat corpus», prout superior expositum est (2). Hæc duæ hypotheses in

(1) Ita Emmanuel Magnarus. Saguens ac Tosca supra citati: itemque Fortunatus a Brixia (in *Physic. generali*, part. 1 paragr. 608), Perrimezzi, alique.

(2) Præter duas istas hypotheses alia duæ restant, quas omittendas esse arbitramur: prima Cartesii, altera Nominalium, quorum hæc de re sententiam initio huius articuli retulimus. Cartesius in suis *Responsionibus ad quartas objectiones*, primum illud præmittit: «nihil plane aliud esse, a quo sensus nostri afficiantur, præter solam illam superficiem, quæ est terminus dimensionum ejus corporis, quod sentitur»: quam superficiem, mox notat «non hic intelligi partem ullam substantiæ nec quidem quantitatis ejusdem corporis nec etiam partem corporum circumjacentium, sed tantummodo terminum illum, qui medius esse concipitur inter singulas ejus particulas et corpora ipsa ambientia, quique nullam plane habet entitatem, nisi modalem». Quibus animadversis, ita demum rem exponit: «Jam vero, cum in hoc solo termino contactus fiat, et nihil nisi per contactum sentiatur, manifestum est ex hoc uno, quod dicantur panis et vini substantiæ in alicujus alterius rei substantiam ita mutari, ut hæc nova substantia sub iisdem plane terminis contineatur, sub quibus alia prius erant, sive in eodem præcise loco existat, in quo panis et vinum prius existebant, vel potius (quia eorum termini assidue moventur) in quo jam existerent, si adessent; sequi necessario novam illam substantiam eodem plane modo sensus omnes nostros afficere debere, quo panis et vinum illos afficerent, si nulla transubstantiatio facta esset».

Verum hæc adeo inania sunt, ut vel ab ipsis Cartesii asseculis deserta fuerint. Et merito quidem. Quid enim est illa superficies, qui purus terminus sit, nec ad ipsum corpus, cujus est superficies, nec ad ambientia corpora spectat? Estne substantia panis et vini, an accidens? Si substantia, obstat Fides. Si accidens, jam habemus accidentia panis et vini a substantia realiter distincta, contra communem cartesianorum doctrinam. Si autem nec substantia est nec accidens, quid, quæso, est? Ipse Cartesius solam ei<sup>us</sup> modalem entitatem concedit.



eo conveniunt, ut asserant nullam realitatem objectivam, sive substantialem sive accidentalem, panis et vini remanere, unde phænomena resistantiæ aliarumque sensationum profiscantur; discrepant vero, quia cartesiani antiquiores Deo immediate tribuunt illas impresiones, recentiores autem atomistæ, quibus secunda hypothesis aridet, Deo quidem illas tribuant, sed mediante materia imponderabili.

Atqui neutra duarum istarum expositionum satis convenienter tueri potest veritatem ex doctrina Ecclesiæ Fide tenendam circa mysterium Eucharistiæ. *Non hypothesis et explicatio cartesianorum.* Nam 1.<sup>o</sup> ut supponimus nunc ex Theologia, doctrina Ecclesiæ est sacramentum consistere in re objectivæ et signo sensibili, rem vero sensibilem, in qua sacramentum Eucharistiæ consistit, esse aliquid ad realitatem panis et vini pertinens (1). Atqui nihil hujusmodi satis

Verum si modi, fatentibus ipsis cartesianis (Vide *Ontologiam* n. 313, pag. 890), nec esse nec concipi valent sine re modificata, quomodo superficies illa vel terminus panis et vini poterit in Eucharistia remanere sine ipso pane et vino? Denique etiamsi concederetur Cartesio superficiem vel terminum hujusmodi remanere in Eucharistia, non sequitur, succedente in locum panis et vini Corpore Christi Domini, eadem nos phænomena tactus, odoris, saporis etc., debere experiri, quæ experimur, ipsa panis et vini præsentis substantia. Cui enim persuaderit Cartesius solam superficiem rei alicujus sufficere ad omnia ejusmodi phænomena illico experienda, nec posse sub eadem superficie ac terminis diversissimum tactum, colorem, saporem, odorem, sentiri?

Neque etiam commemorandam aut specialiter confutandam ducimus opinionem Nominalium; tum quia obsoleta est, tum etiam quia nulla necessitate multiplicat quantitates in corpore, cum una sufficiat; tum denique quia si quantitas in sacramento ex evidenti sensuum experientia remanens, non foret quantitas corporæ substantiæ, sed qualitatum; quæro, num hujusmodi quantitas distincta, quæ fingitur in qualitatibus habeat impenetrabilitatem, an non. Si habet, cur prius qualitates penetrabantur cum corpore? Si vero non habet, cur nunc impedit penetrationem quorumlibet aliorum corporum in locum specierum? An forte dices hujusmodi impenetrabilitatem provenire ex actione Dei miraculose impediens penetrationem ad occultandum mysterium? Sed tunc incidimus in hypothesin cartesianorum. Vide Suar. (disp. 40, sect. 2), Lossada (*Metaph.*, disp. 3, cap. 4, n. 63).

(1) Hanc rem fuse declaratam vide apud Cardin. Franzelin (*de Eucharist.*, thes. 16), ubi ab Ephremo Antiochæno species sacramentales

commode explicari potest in cartesiana hypothesi: quia secundum illam nulla res objectiva sensibilis remanet in Eucharistia. 2.<sup>o</sup> Ex Theologia pariter supponendum est, Eucharistiæ sacramentum esse permanens ac perseverans, cum non consistat solum in usu. Atqui id pariter in cartesiana hypothesi nequit explicari; ratio enim illorum phænomenorum, quæ secundum illam assignatur, desinit, quotiescumque aut reconditur in tabernaculo sanctissimum Jesu Christi Corpus, aut nemo coram adest, in quem impressiones illæ et actiones objectivæ a Deo exercentur. Ergo... Et hæc quidem gravissima incommoda rejiciendam prorsus esse cartesianorum doctrinam persuadent.

*Contra alteram vero hypothesin* hæc potissimum urgeri possunt. 1.<sup>o</sup> Id quod secundum illam remanet in sacramento, æther nimirum, in nullo vero sensu dicitur esse aliquid ad realitatem panis et vini pertinens, hæc enim in sola materia ponderabili reponitur, etiam ab ipsis adversariis. Et si aliter diceretur, in Eucharistia aliquid remaneret de realitate panis et vini. 2.<sup>o</sup> Eadem hypothesis falso supponi tum corpoream substantiam constitui ex atomis invicem separatis, quæ atmosphæra æthere convolvantur, tum qualitates sensibiles in motibus materiæ, sive ponderabilis sive imponderabilis, objective et ontologicè consistere. 3.<sup>o</sup> Illa resistantia, quam Deus supponitur efficere in æthere, vel est aliqua realitas nova existens in æthere per modum virtutis vel actus primi capacis ad repulsionem aliorum corporum peragendam, vel est ipsa actualis repulsio eorumdem. Si primum, quoniam illa vis resistendi certissime est ab æthere realiter distincta, utpote realis entitas per miraculum a Deo producta de novo, ideoque superaddita ætheri prius existenti; quæro, quidnam sit, substantiane, an accidens? Si substantia, jam habemus ergo aliud novum miraculum productionis substantiæ

vocantur panis et vini sensibilis natura, αἰσθητὴ οὐσία; a Theodoro prioris essentiæ forma et species ac symbolorum remanens propria natura et permanens natura (id est proprietas, juxta modum loquendi quandoque a scriptoribus ecclesiasticis usitatum, ut notat Franzelin, ib. thesi 10, pag. 125) panis et vini; a Gelasio, permanens, et non desinens proprietas natura panis et vini. Vide plura apud Franzelin ibid. thes. 16, pag. 256, 257.



alicujus hactenus inauditæ et incognitæ, quæ potius eadem virtute resistendi panis et vini, quin sit panis aut vinum. Si vero sit accidens, in primis dantur accidentia realiter distincta ab omni substantia, quæ tantopere horrebant adversarii, et quidem accidentia alieno subjecto inhererentia. Præterea cogentur adversarii admittere idem ipsum miraculum in conservatione talis accidentis, quod Scholastici agnoscunt in hoc mysterio: neque enim minus miraculum est accidentia in alieno subjecto, quam extra omne subjectum, conservare (1).

Si vero prædicta resistentia ætheris consistat in actuali repulsione, in primis desinet ratio sacramenti, quoties non detur illa actualis repulsio et cæteri effectus in illa fundati. Deinde toties renovabitur miraculum, quoties detur novus actus repulsionis, et quoties iterantur motus atomici, unde procedant colores, odores, soni et sapes. Et quoniam sacramentales species loco moveri possunt, alterari diversimode, corrumpi, frangi, miracula multiplicabuntur pro singulis hisce mutationibus. E converso in sententia Scholasticorum, unicum admittimus miraculum, quantitatis nempe separatæ a substantia, cætera nemque accidentia in illa subjectantur.

Dices fortasse. Illa miracula saltem possibile sunt evidenter: hoc autem miraculum, quod a nobis obruditur, non est evidenter possibile, cum non sit certa realis distinctio et separabilitas accidentium a substantia. Ergo præferenda est sententia et hypothesis recentiorum atomistarum cum omnibus suis miraculis.

Resp. 1.<sup>o</sup> *neg.* antecedentis primam partem. Si enim est verum, qualitates corporeas reponendas esse in motibus atomorum, non est evidenter possibile, immo est evidenter impossibile, quod solo motu atomorum majorique resistentia per miraculum producta, habeantur phænomena diversarum sensationum. Resp. 2.<sup>o</sup> *dist.* antecedentis secundam partem, non est evidenter possibile miraculum, quod nos ponimus, antecedenter ad experientiam et auctoritatem

(1) Cfr. alia incommoda, quæ S. Thomas, 3 p., quæst. 77, art. urgebat contra eos, qui arbitrabantur accidentia eucharistica subjectari in aëre circumstante.

ecclesiasticæ doctrinæ, *trans.*; supposita experientia et modo loquendi Patrum et Conciliorum, *neg.* Non est autem necesse, inmo periculosum est exigere, ut antequam miraculum amplectamur, patere nobis debeat positive possibilitas illius. Quod principium si quis statuat, facile potest adduci ad neganda quædam certissima miracula. Immo ubi tale principium jaciatur in miraculis, transferri ab alio poterit eodem jure ad revelationem veritatum supernaturalium cum ingenti Fidei divinæ pernicie.

Resp. 3.<sup>o</sup> *neg.* conseq. Quia sola possibilitas absoluta miraculi non præbet jus illud supponendi absque ullo fundamento et contra manifestam experientiam et auctoritatem Patrum et Conciliorum, quæ ita loquuntur, ut omnino faveant nobis, et adversentur atomistis, ut videre est apud Theologos, ac nominatim apud Eminentissimum Cardinalem Franzelin (1). E converso evidens physice experientia miraculi, ubi nullum suppetit argumentum idoneum in contrarium, cogere nos debet ad miraculum agnoscendum. Secus possemus excludere omnia facta miraculosa. Ergo hypothesis illa tot miracula inducens nullam habere probabilitatem dicenda est, miraculum autem quantitatis separatæ a substantia; supposita evidenti experientia. vel certum est, vel saltem probabilissimum.

Hinc vero notamus contra utramque illam hypothesis, cartesianorum et recentiorum atomistarum, quod explicare contendat Fidei dogmata ex præjudicatis doctrinis philosophicis. Atqui Philosophi christiani partes eæ sunt, non ut rei Fidei ad præconceptas opiniones trahat, sed ut ex his, quæ Fides et sacra doctrina tradit tamquam omnino tenenda, ipsas notiones philosophicas, aliunde per rationem non penitus compertas, corrigat, si opus est, atque perficiat. Ergo utraque illa hypothesis deseranda est. Apposite Cardinalis Franzelin: «Discrimen, inquit, inter theologos veteres consentientes, et inter hos aliquos recentiores maximum est in ipsa methodo. Veteres enim in modo loquendi ac docendi ecclesiastico de parte visibili sacramenti et in diserta Patrum doctrina videbant expressam objectivam realitatem specierum

(1) *De Eucharist.* thes 16.



remanentium: hac deinde doctrina theologica admissa tamquam norma directrice, in inquisitione philosophica, *quomodo* sint species remanentes, malebant se conicere in difficiles theorias de corporum et accidentium natura, quam violare principium eis theologice certum. Non vero ad hujusmodi theorias venerunt, quod explicatio phaenomenorum per eam immutationem in nostris organis eis in mentem non venerit, quae per se obvia est, et a veteribus saepe in aliis phaenomenis adhibita, ubi principia theologica non obstant (vide v. g. S. Thomam 3 p., q. 76, a. 8, et Theologos in hunc locum). Methodum oppositam sequuntur illi recentiores nonnulli, qui admissa primum quadam theoria philosophica de natura corporum et accidentium, huic accommodant in suis interpretationibus doctrinam theologicam (1).

Quae cum ita sint, vides plane huc revocari totam controversiam nostram cum cartesianis et atomistis, utrum sequenda sit evidens sensuum relatio, accipiendusque in sua propria significatione modus loquendi Patrum et Conciliorum, an vero absque ullo cogente argumento multiplicanda sint miracula, et novo modo ratio sacramenti explicanda.

Probatur denique eadem 2.<sup>a</sup> pars Majoris argumenti principalis ex auctoritate innumerorum (2) Theologorum, qui certam existimabant realitatem objectivam quantitatis et aliarum qualitatum a substantia panis et vini separatarum: immo non pauci id tamquam fide certum tradebant (3). Nitebantur autem ad ita sentiendum testimoniis Conciliorum,

(1) Card. Franzel., *de Eucharist.* thes. 16, pag. 260. Romae. 1878.

(2) Hanc sententiam de accidentibus existentibus in Eucharistia sine propria substantia communem fuisse in scholis ante adventum cartesianorum disces ex Suarezio, qui ut nuper notavimus, *solum* Petrum de Alliaco referre potuit tamquam arbitrantem, *posse probabiliter negari* permanentiam accidentium in Eucharistia, non obstante manifesta sensuum relatione. Et Sylvius haec habet: «Quod maneat accidentia in Sacramento Eucharistiae, est sensu notum, ut dicebatur in art. 5.<sup>o</sup> quest. 75. Quod non inhaereant substantiae panis et vini, est Fidei docentis transubstantiationem. Quod non sint in ullo alio subjecto, certum est; an autem Fide, non liquet...» Sylvius, in 3.<sup>um</sup> p., quest. 77, art. 1.

(3) Vide Dom. Soto, in 4.<sup>o</sup> dist. 10, q. 2, art. 1, et Suar., Valent. Lugo, Vazquez aliosque apud Cardin. Franz. loc. cit. pag. 259.

quae certe videntur omnino evincere permanentiam accidentium. Nam in Concilio Constantiensi (1) et in Bulla confirmationis Martini V duo articuli distincti inter alios damnantur in doctrina Wicleffi, quorum alter est hic: *Accidentia panis non manent sine subjecto in eodem sacramento* (2). Post concilium autem Lateranense IV (3), et Florentinum (4), definitur in Concilio Tridentino (5) conversio totius substantiae panis in Corpus, et totius substantiae vini in Sanguinem, *manentibus dumtaxat speciebus panis et vini*: quae verba sive spectetur communis intelligentia Patrum Tridentinorum et Doctorum illius saeculi, sive etiam contextus ipse, aperte continet eandem doctrinam, ut fuse declarat Cardinalis Franzelin (6).

#### SOLVUNTUR DIFFICULTATES.

206. **Objic. 1.<sup>o</sup>** Quantitas aliud non est, nisi modus quidam essendi substantiae corporeae in eo consistens, quod habeat partes extra partes. Atqui contradictorium est, ut modus essendi rei alicujus ab eadem separetur. Ergo...

**Resp. neg.** Major. Quantitas enim non est modus essendi, sed reale accidens, unde provenit modus essendi extensive.

**Objic. 2.<sup>o</sup>** Non sunt multiplicanda entia sine necessitate. Sed nulla est necessitas asserendi quantitatem esse distinctam. Siquidem substantia ex seipsa formaliter habet totum illud, quod a quantitate realiter distincta ipsi conferri fingitur. Et re quidem vera, supponamus materiam spoliari omni alia quacumque realitate sibi superaddita: hujusmodi materia

(1) Sess. VIII.

(2) Videatur hac de re Card. Franzelin, loc. cit. pag. 265, 266 seqq., ubi veram mentem Concilii contra tricas et exceptiones cartesianorum propugnat.

(3) Capit. *Firmiter*.

(4) Decret. pro Armenis.

(5) Sess. 13, can. 2.

(6) Loc. cit. pag. 262 seqq. Cur autem Concilium voce *specierum* usum potius fuerit, quam *accidentium*, vide apud Suar. (*de Eucharistia*, disp. 56, sect. 1, conclus. 2). Cfr. Vazquez (in 3.<sup>um</sup> p., disp. 194, cap. 1).



retinebit adhuc partes extra partes entitative distinctas, et physice integraliter unitas ac diversam spatii partem occupantes. Atqui hæc sunt munera propria quantitatis. Ergo materia ex seipsa formaliter habet totum illud, quod a nobis fingitur ipsi advenire ex accidente realiter distincto.

**Resp. neg.** Minor. et ejusdem probationem. Ad ultimam probationem *dist.* alteram partem Majoris. Habebit hujusmodi materia spoliata omni accidente superaddito partes extra partes in spatio, et exigentes mutuam impenetrabilitatem et positionem in diversis partibus spatii, *neg.*: habebit partes et partes, ex sese indifferentes, ut sint in eodem spatio vel diverso, prout ab externa causa constituantur, *conc.* Verum hæc patefient inferius, tangunt enim quæstionem de primario effectu formali quantitatis.

**Objic. 3.<sup>o</sup>** Deus conservando in corpore omne accidens ab eo realiter distinctum, potest efficere, ut illud non sit quantum. Ergo quantitas non est accidens se distinctum a corpore. Antecedens patet. Quia Deus potest corpus bipedale redigere ad pedale spatium sine corruptione ullius entitatis: rursus potest illud reducere ad spatium semipedale, ac tandem ad punctum spatii. Atqui tum corpus hujusmodi non foret quantum. Ergo...

**Resp. neg.** antec. Ad probationem *neg.* Minor. Nam etiamsi corpus per partium suarum miraculosam compenetrationem redigeretur ad punctum spatii, non ideo desineret esse quantum. Quantitas enim non consistit, ut jam probavimus, in actuali partium extensione et impenetratione; sed in *apilludiniali*, que inseparabilis est a quantitate. Et sic Christus Dominus in Eucharistia quantitatem suam retinet sine actuali partium extensione, cum sit totus in toto specierum sacramentalium spatio, et totus in singulis hujus partibus. Impe-ditur quippe miraculo, ne extensionis actualis exigentia naturalis, quæ adest in Corpore Christi Domini, connaturalem suum effectum et modum essendi obtineat.

**Objic. 4.<sup>o</sup>** Substantia per seipsam est susceptiva contrariarum qualitatum, idque maxime proprium substantiæ dicitur a Philosopho (1). Ergo inter substantiam et qualitates non

(1) Lib. de *Prædicam.*, cap. 4 de substant.

mediat aliud accidens, quod sit quantitas. Secus enim illa esset susceptiva contrariorum melius, quam substantia, utpote quæ immediatius illa in se susciperet.

**Resp. dist.** antec. Substantia est susceptiva contrariarum qualitatum ut primum subjectum, *conc.*, ut proximum, *neg.* (1). Neque obstat, quod suscipere contraria sit ex Philosophi doctrina maxime proprium substantiæ, quia illud maxime proprie est subjectum, quod non supponit aliud prius subjectum, ideoque etiam simpliciter denominatur a formis, quas suscipit; quantitas autem non suscipit contraria, nisi quatenus et ipsa sustentetur a substantia (2).

**Objic. 5.<sup>o</sup>** Sicut se habet quantitas successiva sive duratio ad motum, ita se habet quantitas permanens ad substantiam. Atqui duratio successiva non distinguitur a motu. Ergo.

**Resp. neg.** Major. «Est enim disparitas, quia quantitas successiva non potest separari a motu, quantitas autem permanens separari potest a substantia ut probavi» (3).

**Objic. 6.<sup>o</sup>** Quantitas est id, quo substantia corporea distinguitur a spirituali. Sed substantia corporea per suam essentiam distinguitur a spirituali. Ergo quantitas est ipsa essentia corporeæ substantiæ.—**Resp. neg.** Major. Nam substantia corporea distinguitur a spirituali primum ex sua natura et essentiali compositione, ac deinde etiam ex exigentia quantitatis, quæ est proprietas corporis, non vero spiritus (4).

**Objic. 7.<sup>o</sup>** Sicut se habet intensio ad qualitatem intensam, ita se habet extensio ad substantiam extensam. Atqui intensio nequit separari a qualitate. Ergo nec extensio a materia.—**Resp. neg.** paritatem, quia ostendimus quantitatem et extensionem separabilem esse a substantia corporea, intensio vero separabilis non est a qualitate (5).

(1) Vide quæ in hanc rem scripsimus in *Ontol.* n. 281, pag. 820 seqq.

(2) Vide hæc omnia apud Suarez, disp. 40 *Metaph.* sect. 2, a num. 3, et a num. 20.

(3) P. Georg. de Rhodes, *Philos. peripat.* lib. 2, disp. 3, q. 1, sect. 1, *Objic. 1.<sup>o</sup>*

(4) Cfr. De Rhodes, ibid. *Objic. 2.<sup>o</sup>*

(5) Cfr. de Rhodes, ib. *Objic. 3.<sup>o</sup>*



**Objic. 8.<sup>o</sup>** Præcipuum fundamentum nostræ doctrinæ repetitur ex Conciliis Constantiensi ac Tridentino. Atqui ex hisce Conciliis nequit ullum argumentum pro distincione accidentium a substantia derivari; tum quia res philosophicæ non debent rationibus theologicis probari, tum etiam quia non erat mens Conciliorum philoplicas quæstiones definire, sed catholicam veritatem proponere, ac docere contra Wiclefium et Protestantes.

**Resp. neg. Minor.**, cujus primam probationem *dist.* Si propriis argumentis ac mediis naturalibus cognosci possint, *trans.*; si nequeant, et simul suppetant capita doctrinæ theologicæ, unde naturalis veritas innotescat, *neg.* Id enim est unum ex commodis, quæ ex revelatione ac magisterio Ecclesiæ redundant in scientias naturales, ut quædam, quæ humanum captum superant, nec aliter cognosci possent, occasione sacræ disciplinæ innotescant. Cum enim verum vero nequeat opponi, quidquid aut ex doctrina Ecclesiæ legitima consecutione derivatur, aut ad eam tuendam necessarium est, utcumque spectet in se ad ordinem rerum naturalium, tamquam verum amplectatur humana ratio, oportet.

Ad secundam probationem *Minoris neg.* conseq. Nam licet mens Conciliorum directe feratur ad definiendas Fidei veritates, sæpe tamen solent etiam circa naturales controversias discernere, quando hæc cum dogmate sunt consertæ.

**Objic. 9.<sup>o</sup>** S. Thomas hanc inter alias affert rationem, ad probandam transsubstantiationem, quod, si remaneret in sacramento substantia panis et vini, esset occasio idololatriæ, si hostia cultu latriæ adoraretur (1). Atqui eadem occasio etiam datur, remanentibus dumtaxat accidentibus. Ergo.

**Resp. neg. Minor.** Quia cultus ac veneratio in Eucharistia defertur ei, quod latet sub speciebus. Si ergo substantia alia præter Corpus Christi foret, et cultus in illam dirigeretur, foret idololatria; secus autem si sola remaneant accidentia, sub quibus lateat tantummodo Christus Dominus.

(1) Vide S. Thom. 4.<sup>o</sup> dist. 11, quæst. 1, art. 1, solut. 1; 3 P. quæst. 75, art. 2.

**Objic. 10.<sup>o</sup>** Ut Fide docemur, Spiritus S. apparuit sub forma columbæ, et Christus Dominus Magdalenæ se videntem exhibuit sub specie hortulani, ac discipulis sub specie peregrini, quin ad hujusmodi apparitiones opus fuerit aut plumis, columbæ aut vestibus hortulani et peregrini. Ergo a pari poterunt dari apparitiones panis et vini in sacramento absque ullo accidente, quod ibi remaneat.

**Resp. 1.<sup>o</sup>** Non constare apud Theologos, num hujusmodi apparitiones fuerint imaginariæ, an vero exhibuerint objectum aliquod reale, quod veras ac reales species immitteret in sensus. **Resp. 2.<sup>o</sup> neg. conseq.** Quia etiamsi quis contenderet apparitiones illas explicari posse per visiones imaginarias et *actiones Dei objectivas*, ut eas vocant adversarii, neganda est paritas in casu nostro ob adductas in probatione thesis rationes.

**Objic. 11.<sup>o</sup>** Quantitas etiamsi realiter distincta foret a substantia, non posset ab ea separari. Nam quantitas dicit extensionem et resistendi vim, quæ extensioni essentialis est. Sed vis resistendi sine substantia consistere nequit. Nam vis resistendi est facultas agendi, hæc autem agentem causam connotat. Secus transeunte illa vi ad actum, haberetur actus sine agente (1).

**Resp. 1.<sup>o</sup>** Quantitatis resistentiam necesse non est explicare per vim aliquam efficientem, sed potius ac sufficienter explicatur cum veteribus Philosophis in genere causæ formalis, per formalem videlicet repugnantiam, quæ inest duabus partibus, ut sint in eodem loco, et vocatur impenetrabilitas. Qua de re inferius sermo erit.

**Resp. 2.<sup>o</sup>** Etiamsi resistentia explicaretur tamquam effectus activitatis, posset per miraculum activitatis hujusmodi sustentari a sola quantitate, ut sustentantur aliæ qualitates, quas experimur in sanctissima Eucharistia.

(1) Ita P. Tong., *Cosmol.* n. 233, 2.<sup>a</sup>